DE

ORIGINE ET FATIS CORPORIS,

QUOD

CLXVIII. NOVELLIS CONSTITUTIONIBUS

CONSTAT.

SCRIPSIT

ET

PRAELECTIONEM ADITIALEM

D. III. IUL. A. MDCCCXLIV.

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN AUDITORIO IURIDICO

H. XI.

HABENDAM

INDICIT

GUSTAVUS ERNESTUS HEIMBACH

IURIS UTRIUSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR LL. AA. MAG., IURIS PROFESSOR EXTRA ORD. DES.

LIPSIAE

TYPIS I. B. HIRSCHFELDI.

Postquam qui superiorum temporum iniuria deperditi videbantur esse veterum interpretum de Iustiniani Novellis constitutionibus commentarii, rara quadam aevi nostri felicitate ex sempiterna nocte, quae huic studio offusa videbatur esse, in publicum prodierunt, non dubito, quin operae pretium facturus sit, si qui ostenderit, novam quandam insperatamque lucem ex tali tantoque antiquitatis thesauro historiae collectionis, quae centum sexaginta octo Novellas habet, enucleandae affulsisse. Vetus est autem per manusque virorum doctorum quodammodo tradita opinio, nobilissimum illud recentiorum, quae Graecum Latinumque contextum habent, editionum fundamentum totidem authenticis, quae quidem ab Iustiniano, eius successoribus aut praefectis praetorio profecta sint, exemplaribus constitisse, quam quidem collectionem Tiberii II temporibus compilatam esse credunt [1]). Talem ego librum ullo unquam tempore exstitisse praefracte nego. Sic enim mihi persuadeo, illas, quae in Veneto Florentinoque libro sunt Iustinianarum Novellarum collectiones, iam non pro imperfectis neque omnibus nu-

---

1) Vide Bieneri librum: *die Geschichte der Novellen Iustinian's p.* 89. Eius auctoritatem secuti sunt Schweppe *Römische Rechtsgeschichte* §. 126. b. ed. Gründler p. 251.), Heimbach (*Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft herausgegeben von Savigny*; Vol. VIII. p. 344.) Novissime Zachariae *'Ανεκδότων* prol. p. XXX. *quaeritur tantum de ea illius collectionis forma, ex qua haec recentior* (id est qualis in codd. Novellarum Graecis habetur) *nata est, quamque editores corporis iuris civilis restituere sunt conati. Haec igitur Theodoro pro fonte fuit, ex quo Breviarium suum conficeret, non autem ipsa ab illo collecta est.* Haec eadem opinio transiit in librum: Mortreuil *histoire du droit Byzantin* (Paris 1843. 8.) p. 28. seq.

meris absolutis exemplaribus, quae ficticiae istius collectionis quasi simulacrum referant, habendas esse, sed harum originem ad recentiora tempora referendam, cum, qui in Graecas Iustiniani eiusque successorum constitutiones incidissent, ad eum, qui in Theodori Syntomo habetur, ordinem, quicquid invenerant, componere satis haberent, Latinis tamen horum imperatorum constitutionibus, si quae in isto Theodori libro commemorarentur, quas plane non attigerant, omissis, aut certe Graecis, quae apud Athanasium Theodorumque inveniuntur, epitomis in Latinarum constitutionum locum suffectis; in quo tamen qui utrasque collectiones composuerint, alius aliam viam ingressus esse reperitur, cum eius, quae Venetiis habetur, collectionis compilator nihil quicquam prius antiquiusve haberet, quam ut has, quae Iustiniani sunt, constitutiones contexeret solas, reliquis, quae Iustino Tiberioque acceptae referuntur, itemque edictis praefectorum praetorio plane omissis; ille autem, qui Florentinam collectionem confecit, quod Theodorus Hermopolitanus in Syntomo componendo ceperat consilium, pressius sequendum ratus, omnes, quarum is scriptor epitomas confecisset, Novellas constitutiones sive Iustiniani sunt sive Iustini sive Tiberii, adiectis et praefectorum praetorio formis, quas Theodorus recepisset, conglutinandas et ad eum, qui apud Theodorum habetur, ordinem componendas putaret.

Ac primum quidem, si de causis quaeritur, quamobrem Graecarum Novellarum corpus centum sexaginta octo authenticis exemplaribus ab initio constitisse credamus, nihil quicquam cogitanti occurrit mihi, nisi inveteratus ille error, quem istam opinionem qui sequuntur, si eripi sibi patiantur, non dubito, quin praeiudicata opinione se teneri ingenue confessuri sint ad unum omnes. Cum Gregorius Haloander anno p. Chr. natum MDXXXI. et Henricus Scrimgerus anno MDLVIII. Graecarum Novellarum contextum publici iuris facerent, singularum constitutionum componendarum ordinandarumque rationem ad codicum, quibus usi sunt, fidem non usque adeo expresserunt, ut non aliquando a librorum manu exaratorum auctoritate recedendum sibi esse putaverint. Id Iacobus Cuiacius cum animadvertisset, in adornanda Novellarum expositione, quae anno MDLXIX primum prodiit, id egit, ut certum rubricarum indicem, quem sequeretur, anquireret, cumque in Reginae bibliotheca perscrutanda in eum Novellarum codicem, quem

Icti nostri *indicem Reginae* nuncupare solent, forte fortuna incidisset, nihil amplius deliberandum ratus, hunc publici iuris faciundum censuit librique sui fundamentum esse voluit[1]). Is index ex codice, qui inter Graecos bibliothecae Regiae Parisiensis libros hodie numero MCCCXLIX signatus habetur, haustus est librisque Basilicorum, qui in eo exemplari sunt, quasi appendicis loco adiectus[2]); exhibet autem sub titulo: *πίναξ τῶν νεαρῶν* CLXVIII. Novellarum rubricas, quas quidem ex Theodori Syntomo derivatas esse ad unam omnes vir doctissimus, quem honoris causa nomino, Eduardus Zachariae[3]) animadvertit. Posteriores Novellarum editores, Cuiacii exemplum secuti, hanc legum seriem religiose observarunt, inter quos primus, quod equidem sciam, Antonius Contius illas, quae Latine scriptae sunt constitutiones cum nec apud Scrimgerum nec apud Haloandrum, hoc est, in Graecis Novellarum exemplaribus haberentur, ex Authentico supplevit, numerisque, qui apud indicis scriptorem habentur, distinxit, quasi CLXVIII. Novellarum collectioni ab initio ascriptae attributaeque fuissent. Quod quidem in eo, quae anno MDLXXII prodiit, Novellarum editione primum factum esse videmus[4]), cum hae, quas is vir doctus anno MDLIX et MDLXVI curavit, editiones hunc, qui in Authentico habetur, legum ordinem seriemque religiose expresserint. Ita factum, ut quod Iacobus Cuiacius in usum praelectionum commendaverat, ut indicis Reginae auctoritatem sequeremur, hoc Antonius Contius in Novellarum editionem transtulerit, manifesto, et, qui excusari non possit, errore. Ita videmus accidisse, ut post Contiana tempora nemo quisquam dubitaverit, quin collectio CLXVIII Novellarum

---

1) In expositione Novellarum init. *index vero titulorum, quia non erat certus (nec enim veteri interpreti, qui vel Haloandro vel Scrimgero) elegi, quem sequerer, ex Reginae bibliotheca breviorem aptioremque ceteris et hac pagina statim ut exprimeretur, procuravi; fuit Graecus, sed Latinum exhibere malui.*

2) Vide Heimbach *Ἀνεκδότων* tom. II. prol. cap. V. p. LXVI. seq.

3) *Ἀνέκδοτα* p. 1., not. 1.

4) In hac libelli parte usus sum iis, quae Bienerus l. c. p. 397—401. et Puchta in libro: *Cursus der Institutionen* tom I. p. 712. de his, quas Antonius Contius curavit, Novellarum editionibus docte, ut solent, disputaverunt.

totidem authenticas constitutiones sive Latinas sive Graecas ab initio habuerit, quam tamen vetustissimam collectionis formam Graeci Novellarum codices non ita religiose expresserint, cum propter Latinae linguae per Orientem inscitiam et non usum Latinarum Novellarum partim ex huius collectionis serie eiecerint, partim his, quae apud Athanasium Theodorumque habentur, legum epitomis permutaverint. Ab hac opinione nec Bienerus discessit neque recentiores Novellarum editores dimoveri se passi sunt, quorum vel novissimus — Osenbrüggen dico — non tantum in Contiana ista Latina Graecis permiscendi et ad numeros, qui in collectione CLXVIII. Novellarum habentur, redigendi ratione acquiescendum putavit, verum etiam usque adeo processit, ut Graecas illas Latinarum Novellarum epitomas, quas vel Contius retinuerat, abiiciendas et ab editionis limine removendas curaret, motus scilicet Bieneri verbis, qui hisce epitomis in nova Novellarum editione adornanda sic demum locum fore dixisset, si qui plenam huius collectionis imaginem referre mallet. In quo nec viri docti sententiam assecutus videtur esse, et hanc collectionis formam, quae nulla fuit, editione expressit sua.

Ex his, quae adhuc disputavimus, satis apparet, causam plane esse nullam, quare Latinas Iustiniani Novellas in collectione CLXVIII. Novellarum ab initio fuisse credamus eosque, qui alia omnia censeant, Antonii Contii, qui Iacobi Cuiacii consilium non cepisset, errore deceptos ad istam opinionem pervenisse. Quam tamen ut plenius refutemus, ad historiam Novellarum paullo altius descendendum erit. Atque Iustiniani quidem temporibus authenticam Novellarum collectionem ab ipso imperatore promulgatam fuisse plane nullam (id, quod Bienerus [1]) observavit) Iohannes scholasticus in praefatione collectionis, quae LXXXVII. capitulis constat, auctor est satis idoneus [2]). Itaque cum singulae Novellae constitutiones per magistratuum scrinia dispersae haberentur, Ictorum fuit, dispersa legum membra colligere et in uno corpore referre, quod quidem a Stephano Anonymoque quodam scriptore, unde Iulianus antecessor sua deduxit, videmus factum

---

1) L. c. p. 38—50.
2) Apud Heimbach Ἀνεκδότων tom. II. p. 208.

esse. Tiberii II temporibus Theodorus scholasticus exstitit, qui Iustiniani, Iustini, Tiberii Novellas colligere et epitomis illustrare institueret. Is totam constitutionum, quas undique conquisivisset, farraginem sub CLXVIII titulis, numerorum consequentia distinctis, distribuit, quos titulos νεαρὰς vocavit; initio uniuscuiusque epitomae prima quaeque Novellae verba sive Latina sunt [1]), sive Graeca, adnotavit, quod quidem ea de causa factum videtur, quia singulas quasque Novellas, quamdiu σποράδην iacebant, ad haec verba laudare solebant; postmodo Graecam uniuscuiusque consitutionis epitomen posuit, distinctam illam quidem capitibus, siquae Novella lex longior esset, quam ut uno contextu explicari posset; denique diem, consules Graece adnotavit. Hactenus verum est, quod CLXVIII Novellarum collectionem a Theodoro scholastico compositam esse Ἀνεκδότων tom. I. p. 209 conieceram. Quod tamen non in hanc partem interpretandum est, quasi is scriptor ipsum constitutionum contextum in hoc libro collocaverit; immo genuina Novellarum verba, quae posteriorum temporum Icti τὸ πλάτος τῆς νεαρᾶς nuncuparunt, plane non commemoravit, his, quas confecerat, epitomis libri a se scripti lectores contentos fore confisus. Cuius rei testimonium satis luculentum perhibet eiusdem scriptoris de Iustiniani Codice commentarius, in quo Novellae constitutiones saepenumero ad numeros, qui in Syntomo habentur, laudatae reperiuntur. Fuerunt tamen, qui antiquiorem quandam collectionem, quae CLXVIII. Novellarum

---

1) In Zachariaei tamen editione Latina vel plane exciderunt, velut Nov. 9. p. 21., Nov. 36. p. 50., Nov. 65. p. 69., Nov. 75. p. 77., vel in Graecum translata sunt, quae translatio in Latinorum verborum locum suffecta videtur esse. Id ita esse vel ex prava verborum Latinorum interpretatione coniicere licet. Sic Nov. 34. p. 49. ex verbis *rem duram* exiit πρᾶγμα διπλασιάζων, quasi scriptum fuisset: *rem duplans*; Nov. 36. verba *inter viros* Graece ita efferuntur: μεταξὺ τῶν ζώντων, quo loco interpres *inter vivos* legere sibi visus est; denique Nov. 111. p. 105. verba *quod medicamenta* in causa fuerunt, quare male interpretaretur: ἅτινα δόγματα. Quid, quod Florentinus Novellarum codex, quas ex Theodoro hausit epitomas, in his Latina Novellarum verba retinuit? Vide Novellam 23. ed. Haloandri p. 51., Nov. 33 — 37. p. 71. seq., Nov. 65. p. 99.

2) Vide Zachariae l. c. p. XXVIII.

genuina verba referret ad hanc, quae apud Theodorum habetur, seriem ordinemque digestarum, huic scriptori prae manibus fuisse existimarent. Qui si hoc, quod supra refutavimus, opinionis suae fundamentum eripi sibi patiantur, non dubito, quin ad hanc, quam statim commemorabimus, coniecturam descensuri sint ad unum omnes. Reperitur enim Theodorus in adornanda singularum constitutionum serie antiquiori aliquo corpore, quod CXX. Novellas ad chronologicam rationem compositas haberet, usus esse; nam quicquid post centesimam vigesimam constitutionem habetur, ad eam rationem accommodatum non est et superioris illius collectionis facit quasi appendicem, quae reliquas Novellas, quas prae manibus haberet, complecteretur. Caeterum non hoc egisse credendus est, ut nihil quicquam, nisi Iustiniani Novellas puras putas in hoc libro reciperet, sed et Iustini Tiberiique leges adiecit, neque a praefectorum praetorio formis abstinendum esse credidit, quas quidem quemadmodum superiora illa, ita νεαρῶν nomine designare voluit [1]), quod quidem scriptoris consilium ex illorum, quibus vixit, temporum ratione explicandum videtur esse, cum, qui iuris studio operam dabant, quid cuiusque imperatoris esset, non admodum quaererent, sed legum eorumque, quae legis vicem obtinerent, quasi synopsin referre satis haberent. Eius rei indicium facit et Athanasius, qui Iustini temporibus non de Iustiniani Novellis tantum librum composuit, sed etiam Iustini constitutiones [2]) recipiendas esse duxit, ex quibus unam latius, quam reliquas retulit, quae de reliquorum indulgentia est, quam quidem ad praesentis temporis rationem nemo facile negabit accommodatam esse totam, perpetuam causam habere non item [3]). Quae quum ita sint, facile est ad demonstrandum, illam quidem, qua collectio CLXVIII. Novellarum totidem authenticis exemplaribus, quae a Iustiniano, reliquis profecta esse dicantur, constitisse credatur, opinionem in his quidem antiquitatis monumentis, ex quibus naturam indolemque huius corporis adhuc cognovimus, nihil quicquam praesidii

1) Vide Theod. νεαρ. 166. p. 164. Quae ad finem libri temporum iniuria exciderunt, ex titulorum indice, qui p. 6. habetur, nullo plane negotio supplentur.

2) Tit. 3. p. 46., tit. 10. const. 11. p. 132., tit. 20. const. 6. p. 177.

3) Tit. 20. const. 6. p. 177. seq.

habere. Est autem horum monumentorum tripartita ratio, indicis, ut vocant, Reginae et duo illorum, qui Graeca habent, codicum manuscriptorum id est, qui Venetiis habetur, quem Scrimgerus secutus est, et qui Florentiae, cuius apographo Haloander usus esse reperitur. Atque ut ab eo, quod in primo loco positum est, incipiamus, index Reginae, qui nuper a me iuris publici factus est, centum sexaginta octo Novellarum rubricas habet, quas Theodori esse et Zachariae animadvertit et intuenti cuique in Theodori indicem facile apparebit[1]), nisi quod, qui Reginae indicem conscripsit, quibusdam in locis Theodori verba in breve contraxit[2]), aut etiam vocum quarundam accessione auxit[3]), quae res ex aliarum, quae ad nostra tempora non pervenerunt, rubricarum comparatione exorta esse potest, aut rubricarum ordinem paullulum immutavit[4]), aut denique unam alteramque rubricam ex aliis

---

1) Certissimum huius rei indicium facit quarumdum vocum depravatio, quae ex Theodori verbis male intellectis in indicem Reginae translata esse reperitur, velut quod Nov. 15. ex *ἐκδίκων* exiit *ἐδίκτων*, aut quod Nov. 48. ex siglo, quo *χάριν* designatur, *χάρτης* factum est. Quid, quod Nov. 123. verba *περὶ διοικήσεως καὶ προνομίων*, quibus initium huius constitutionis designatur, cum in Theodori indicem librarii incuria delata sint, in causa fuerunt, quare indicis Reginae scriptor huius legis rubricae contra totum legis tenorem male haec addiderit: *καὶ διοικήσεως προνομίων*? Denique Nov. 153. ex *χαμευρετῶν*, quod Theodorus habet, index Reginae *χαμερπετῶν* fecit quod quidem huius constitutionis sanctioni plane repugνat.

2) Sic in indice Reginae Nov. 16. *καταταξίμων* deest, quod apud Theodorum habetur; in Nov. 25., 27., 28., 29., 30. vox *τοῦ*, quae Theodori est, excidisse deprehenditur; item Nov. 44. verba *καὶ συμβολαιογράφων καί*, Nov. 46. vox *ἀκινήτων*, Nov. 45., quae inde a verbis *ὅτι τύχῃ ὑπόκεινται* habentur, exciderunt.

3) Sic Nov. 4. post *ἐγγυητῶν* in indice Reginae additum est: *καὶ ἀντιφωνητῶν*, quod apud Theodorum non habetur; in quo et verba *κὰὶ ἐμφυτεύσεων* desunt, quae Nov. 7. post vocem *πραγμάτων* ab indicis scriptore posita sunt, denique Nov. 33. post *δανειζόντων* apud hunc vox *νομίσματα* interponitur, quam Theodori index non habet.

4) Sic rubrica Novellae 138. *περὶ τοῦ εἰς τὸ διπλοῦν ῾ρέοντας τόκους* neque cum Theodori indice consentit aut cum Scrimgeri rubrica. Certe Athanasius totam hanc Novellam praetermisit.

Novellarum commentariis derivavit[1]). Ad has constitutionum rubricas singulas semper ubique adnotatum esse reperitur, quid quo loco in Basilicis collocatum sit, aut, siquid in hoc legum corpore praetermissnm est, hoc vel disertis verbis commemoratur vel tacito significatur. Quam quidem adnotationem sive ab eodem, qui rubricas composuit, profectam esse credas, sive posterioribus temporibus deberi existimes, illud quidem manifestum est, rubricarum, quae ibi relatae sunt, vim et potestatem a Theodori Syntomo suspensam esse totam, neque in his quidem quicquam causae esse, quare collectione CLXVIII. Novellarum totidem authentica Novellarum constitutionum exemplaria comprehensa fuisse dicantur. — Sequitur, ut de his, quos secundo et tertio loco posuimus, fontibus disseramus, hoc est, vim et potestatem expendamus, quam Graeci Novellarum codices in vulgari opinione tuenda habituri sint, quae quidem disputatio licet ad diversos admodum libros pertineat, ita tamen habet coniunctam sibi invicem et rerum et verborum rationem, ut mihi quidem persuadeam, optume facturum, si qui utramque rem dicendo coniungat. Sunt autem hae vel maxime causae, ut opinor, satis idoneae, quare vulgari isti opinioni in hac quidem utraque re quicquam adiumenti esse praefracte negemus. Ac primum quidem in utraque collectione Novellae vigesimae tertiae authenticum exemplar non habetur, sed illa huius constitutionis epitome, quae apud Athanasium tit. 7. const. 2. p. 82. reperitur, nec haec quidem tota, sed in quantum a Basilicorum architectis in hoc legum corpore receptam esse constat[2]). Quam quidem Athanasii epitomen siqui posterioribus demum temporibus in Latinae constitutionis, quae ab initio in CLXVIII. Novellarum corpore fuerit, locum suffectam esse credat, quomodo cum reliqua huius disputationis

1) Huc referendum est, quod in Reginae indice Novellae 68. rubrica locum Novellae 69. occupavit, ut et haec in illius vicem suffecta esse deprehenditur, quam ego immutationem soli indicis scriptori acceptam referendam esse credo, cum et Theodori auctoritas repugnet, nec quicquam in Veneto aut Florentino Novellarum codice habeatur, quare cum indicis scriptore faciamus.

2) Vide Basil. 9. 2. 2. ed. Heimbach tom. 1. p. 447 et, quae in Ἀνεκδότων tom. I. p. XXXI. adnotavimus.

ratione sibi conveniat, ipse viderit. Videmus enim magnam rubricarum partem, quae tam apud Scrimgerum, quam apud Haloandrum eodem plane modo habetur, ex Athanasii Theodorique commentariis in utrumque codicem translatam, qua in re horum scriptorum verba vel religiose observantur vel paullulum immutantur. Atque ex Athanasii quidem commentario haec quidem rubricarum pars ad verbum translata esse reperitur [1]). Novellae **16.** rubrica in utroque libro hausta esse reperitur ex Athanasii tit. **1.** const. **10.** p. **19.**; Novellae **22.** ex eiusdem scriptoris tit. **10.** const. **2.** p. **113.**; Novellae **31.** ex tit. **4.** const. **11.** p. **56.**; Novellae **48.** ex tit. **9.** const. **4.** p. **101.**; Novellae **63.** ex tit. **21.** const. **2.** p. **180.**; Novellae **85.** ex tit. **20.** const. **4.** p. **176.**; Novellae **100.** ex tit. **10.** const. **8.** p. **125.**; Novellae **110.** ex tit. **17.** const. **2.** p. **161.**; Novellae **133.** ex tit **1.** const. **14.** p. **21.**; Novellae **153.** ex tit. **18.** const. **7.** p. **167.** Neque desunt aliarum rubricarum ex eodem fonte in utrumque codicem translatarum exempla, quae in antiquissimis Athanasiani operis codicibus plenae habebantur, nunc autem verbis: *καὶ τὰ ἑξῆς* vel *καὶ τὰ λοιπὰ* additis in breve contractae habentur, quarum tamen formam genuinam tam Florentinus, quam Venetus Novellarum codex retulit. Quod quidem accidisse videmus in rubrica Nov. **43.**, quae in utroque libro perscripta est tota, cum in Parisiensi Athanasii codice tit. **2.** const. **11.** p. **41.** in breve contracta sit; factum est etiam in tit. **14.** const. **2.** p. **149.** collata cum Novellae **47.** rubrica; in tit. **7.** const. **3.** p. **83.** coll. Nov. **49.**, in tit. **1.** const. **3.** p. **15.** coll. Nov. **86.**, denique in tit. **4.** const. **16.** p. **59.** coll. Nov. **113.** Sunt tamen et aliae per utrumque codicem rubricae, quae cum Athanasii maximam partem conveniant, hunc tamen, ex quo manaverunt, fontem non usque adeo expresserint, ut non aliquid saltem ex genuino Novellarum contextu ad eam rem adiectum sit. Sic, quae in Novellae **2.** rubrica habentur inde a verbis: *ἔχει δὲ πρόφασιν*, cum apud Athanasium tit. **10.** const. **1.** p. **112.** non sint, ex ipso constitutionis tenore suppleta videntur esse; quod idem in Novella **32.** accidisse videmus, in cuius rubrica verba *ἀπὸ τῶν γεωργῶν* habentur, quae in Athanasii tit. **16.** const. **1.**

---

1) Huius rei indicium feceram in *Ἀνεκδότων* tom. II. prol. p. LXVIII.

p. 159. desunt; denique in Novellae 39. rubrica verba προικιμαίων ἢ προγαμιαίων πραγμάτων reperiuntur, quorum apud Athanasium tit. 9. const. 3. p. 100. vestigium habetur nullum. Verum non tantum ex Athanasii libro magnam rubricarum, quae in utroque codice pariter habentur, partem deductam esse videmus, verum etiam ex Theodori Syntomo, quae quidem res hoc loco diligenter et accurate explicanda videtur. Ac videmus quidem Novellae 12. rubricam ad verbum translatam esse ex Theodoro p. 22., Novellae 107. ex Theodoro p. 103., Novellae 114. ex Theodoro p. 108., Novellae 116. ex Theodoro p. 111., Novellae 124. ex Theodoro p. 132., Novellae 125. ex Theodoro p. 134., Novellae 130. ex Theodoro p. 139., Novellae 136. ex Theodoro p. 150. Novellae 156. ex Theodoro p. 160., Novellae 158, ex Theodoro p. 161. Praeterea in Novellae 151. rubrica ex genuino huius Novellae contextu aliqua adiecta videmus esse, quae apud Theodorum p. 158., unde tota haec rubrica hausta est, plane non reperiuntur. — Quod autem ultimo loco commemorabimus argumentum, quare collectionem CLXVIII. Novellarum totidem authenticis exemplaribus, quae a Iustiniano, reliquis profecta sint, constitisse negemus, ex his Novellis, quae Latine scriptae sunt, suspensum est totum, de quibus in utroque codice ita actum esse videmus, ut huic, qui utramque collectionem composuit, authentica illa exemplaria ob oculos non fuisse facile tibi persuadeas [1]). Ac rubricae quidem harum Novellarum constitutionum ex Athanasii, Theodori, aliorum commentariis in utrosque codices translatae esse reperiuntur, aliquando unus ex his libris rubricas plane praetermisit, quas tamen alter ex Theodoro sumsit. Porro ubi Theodorus genuinum Latinarum constitutionum contextum sibi prae manibus fuisse ipse auctor est, in his collectionis CLXVIII. Novellarum locis vel utrique codices has Novellarum summas, quae apud Athanasium Theodorumque reperiuntur, exhibent, genuino harum legum contextu plane praetermisso, vel certe unus Theodori habet epitomas, cum in altero nec summarum nec genuinorum verborum ullum reperiatur esse vestigium. Unde facile est dictu, authentica Latinarum

---

1) Hoc argumenti genus iam tetigeram in libro: *Neue Ienaische Litteraturzeitung. Monat Iuni* 1842., *p.* 556.

constitutionum exemplaria utriusque collectionis scriptori ne fuisse quidem ad manum. Cuius rei fidem ut faciamus, en tibi catalogum harum legum, qua in re contexenda in unaquaque lege dicetur, et quid apud Scrimgerum Haloandrumque referatur, et quibus ex fontibus vel Novellarum rubricae vel, quae in utroque codice reperiuntur, epitomae deductae sint. Ac Novellae 9., quae Athanasio tit. 2. const. 4. p. 38. auctore Latine scripta fuit, nec genuina verba nec summa in utroque codice habentur; apud Haloandrum deest et rubrica, quam Scrimgerus ex Athanasio exhibuit. — Porro ex Novella 11., quae eodem Athanasio tit. 1. const. 18. p. 8. teste Latina fuit, nihil quicquam tam in Scrimgeri quam in Haloandri editione positum reperitur, qui nec epitomen quidem huius legis habent. Rubricam Athanasii Scrimgerus exhibet, Haloander plane nullam. — In Novella 23., cuius priora verba Latina et Athanasius tit. 7. const. 2. et Haloander retulerunt, per utrumque codicem nihil quicquam praeter Athanasii epitomen reperitur. Rubricam Theodori p. 43. Haloander exhibet; illa, quam Scrimgerus ex Veneto libro hausit, unde manaverit, plane non constat. — Etiam Novellae 33., quam Athanasio tit. 16. const. 3. p. 159. Haloandroque auctoribus Latinam fuisse satis constat, verba genuina in utraque editione desunt, nec epitome apud Scrimgerum habetur ulla, quamvis Haloander Theodori p. 49. summam rubricamque posuerit. Quae ex Veneto libro apud Scrimgerum exhibetur rubrica, eam, cum nec Theodori nec Athanasii esse facile constet, ex ignota quadam Novellarum collectione profectam esse credas. — Latinam fuisse et Novellam 34. tam Athanasius tit. 16. const. 2. p. 160., quam Haloander testantur; huius legis contextus in utraque editione non habetur, cuius nec summam rubricamve Scrimgerus exhibuit. Haloander utramque ex Theodoro hausit. — Novellae 35., quam et Athanasius tit. 22. const. 4. p. 182. et Haloander Latinam fuisse perhibent, contextum Scrimgerus Haloanderque praetermiserunt; Scrimgerus nec rubricam summamve habuit, quam utramque Haloander ex Theodoro p. 49. deduxit. — Idem valet et in Novella 36. et 37., quarum summas rubricasque Haloander ex Theodoro p. 50. derivavit, Scrimgerus habet omnino nullas, Latinas autem fuisse et Athanasius tit. 19. const. 2. p. 170. et tit. 2. const. 6. p. 39. Haloanderque

testantur. — Item Novellam 62. Latine scriptam fuisse ex Athanasii tit. 22. const. 3. p. 183. et Florentini codicis testimonio facile colligitur, cuius quidem legis Scrimgerus contextum summamve non habet, habet autem rubricam, tam cum Athanasii, quam cum Theodori p. 67. convenientem. In contextu Haloandri nihil quicquam ex hac constitutione receptum esse reperitur, nisi quod prima legis verba summamque in codice manuscripto h. e. in Bolognini apographo fuisse in notis recogniti operis scripsit. In Florentino Novellarum codice haec constitutionis rubrica summaque posita est, quae apud Haloandrum habetur. — Novellae 65., quae Athanasio tit. 2. const. 10. p. 41. Haloandroque auctore Latina fuit, Scrimgerus contextum summamque non habet, habet autem rubricam, cui neque cum Theodori p. 69. neque cum Athanasii satis convenit. Apud Haloandrum ea, quae Theodori est, rubrica summaque relata esse reperitur. — Novellae 75., quae eodem Athanasio tit. 4. const. 21. p. 61. auctore Latina fuit, genuina verba apud Scrimgerum relata non sunt, qui summam ex Theodoro p. 77. exhibuit, rubricam autem, quam posuit, nec cum Theodori Athanasiique convenientem, ex ignoto quodam fonte deduxisse videtur. Apud Haloandrum nihil plane ex hac constitutione, nec rubrica quidem relata est. — Quae eadem est cum ea, quam ultimo loco posuimus, Nov. 104., huius contextum neuter ex editoribus habet, rubricam uterque ex Athanasii tit. 3. const. 21. p. 61. aut ex Theodoro p. 101. derivasse potest, Scrimgerus quidem summam non habet, Haloander eam, quae Theodori est, dedit. — Neque Novellae 113 et 114., quas Latine scriptas fuisse ex Athanasii tit 2. const. 5. p. 38. et tit. 22. const. 6. p. 183. testimonio satis constat, genuina verba in Veneto Florentinove libro habentur, in quibus rubricae summaeque Theodori p. 105. et 108. relatae sunt. Ad huius tamen, quam ultimo loco posui, constitutionis rubricam apud Scrimgerum aliquid adiectum esse reperitur, quod in reliquis fontibus plane deest. — Denique in Novella 143., quam eandem esse cum Novella 150. hodie satis constat, Latinamque fuisse Athanasius tit. 11. const. 5. p. 141. testatur, verba genuina in neutro loco referuntur, cuius legis nec Scrimgerus rubricam ullam summamve habet, Haloander autem utroque in loco exhibuit, quae apud Theodorum p. 154. et 158. habentur. —

Dicet aliquis, Latinum harum constitutionum contextum certe quidem ab initio in collectione CLXVIII. Novellarum esse potuisse, quem his, quibus nullus erat Latini sermonis per Orientem usus, temporibus librarii scribae omiserint in eiusque locum partim Theodori Athanasiique epitomas suffecerint. Vereor, ut recte. Nam et tota codicum, qui CLXVIII. Novellas habent, historia, quam infra ponemus, huic opinioni repugnabit, et in una certe quidem harum constitutionum collectione, hoc est, in illa, quae Venetiis habetur, aliquid indicii est, quare Latinarum Novellarum genuina verba huius collectionis scriptori ad manum fuisse negemus, quae quidem testimonia infra recitabuntur.

Sed iam tempus est utriusque collectionis origines paucis demonstrare. Cumque iam ex his, quae disputavimus, satis constet, in utraque re permulta reperiri, quae ex Athanasii Theodorique commentariis derivata sint, facile est ad coniiciendum, iam non Tiberii, sed posterioribus temporibus deberi, cum, qui Iustiniani, reliquorum constitutiones collegissent, has ad eam, quae apud Theodorum habetur, centum sexaginta octo epitomarum seriem componendas ordinandasque esse crederent. Qua in re perficienda alius aliam viam ingressus esse reperitur, quam rem ut demonstremus, harum collectionum ratio diligentius consideranda est.

Huius, quae in Veneto codice habetur, collectionis scriptor id egit, ut Iustiniani quae essent, authenticas constitutiones, quotquot invenerat, puras putas ad Theodori rationem componeret totas, his, quae, non amplius extarent, legibus plane praetermissis aut in earum locum epitomis quibusdam suffectis, quas ex Theodori Athanasiique commentariis hausisse reperitur. Qua in re perficienda necessarium visum est, Iustini Tiberiique constitutiones, quas Theodorus in Syntomo receperat, et formarum a praefectis praetorio datarum appendicem ab huius corporis limine prohibere, unde factum, ut his, quos apud Theodorum obtinebant, locis lacunae in Veneto Novellarum codice adnotatae reperiantur, velut Nov. 140., 144., 148., 149., quibus in locis Theodorus Iustini Novellas posuerat, aut Nov. 161., 163., 164., ubi Tiberii constitutiones apud Theodorum habentur, aut denique Nov. 166., 167., 168., quem locum praefectorum formae occupant. In his tamen, quae Iustiniani non essent, constitutionibus formisque prohiben-

dis non usque adeo huius libri scriptor processisse existimandus est, ut non adnotaverit, quo quaeque in loco ex his, quas omittendas curaverat, constitutionibus haberetur, quod ad genus illae adnotationes revocandae sunt, quae ex codice Veneto apud Scrimgerum relatae sunt ad Nov. 140., 144., 148., 161., 163., 164., 166., 167., 168.

Is liber manu exaratus habet aliquot Iustini, Tiberii constitutionum formarumque a praefectis praetorio datarum appendices distinctas illas quidem numerorum consequentia, quos numeros, cum has, quae in centum sexaginta octo constitutionum corpore commemorantur, Novellas habeant, huius collectionis scriptor laudare maluit, quam totum collectionis consilium pervertere. Cui quidem et hoc consilii fuisse, ut omnes omnino Iustiniani, quae per Theodori seriem haberentur, Novellas constitutiones conquireret et in unum componeret, illud vel maxime argumento est, quod Novellam centesimam sexagesimam quintam, quae Graeca est, sibi prae manu non fuisse significavit [1]. Quod idem et in Latinis Iustiniani constitutionibus factum esse supra dictum est, cum Scrimgerus harum verba genuina nusquam retulerit, atque uno in loco Athanasii, in aliis Theodori epitomas sufficiendas crediderit. Cuius rei testimonium haud spernendum ipse Scrimgerus perhibet, qui quibusdam in locis, ubi Theodorus Latinarum constitutionum epitomas posuit, ex libro manuscripto similem ei, quam supra diximus, adnotationem posuerit [2]. Rubricas Novellarum huius collectionis scriptor partim ex Athanasii commentario, partim ex Theodori hausit, qua in re Athanasii auctoritati plus videtur tribuisse, quam Florentinae collectionis scriptor. Videmus enim multas, quae apud Haloandrum habentur, lacunas in Veneto libro ex Athanasii libro expleri, ex Theodori non item, quae res conferenti cuique facile constabit Novellae 6. rubricam cum Athanasii tit. 1. const. 1. p. 1., Novellae 7. cum Athan. tit. 2. const. 1. p. 126., Nov. 9. cum Athan. tit. 2. const. 4. p. 38., Nov. 11. cum Athan. tit. 1. const. 8. p. 18., Nov. 40. cum Athan. tit. 2. const. 7. p. 39., Nov. 56. cum Athan. tit. 1. const. 11. p.

1) Scrimgerus l. c. p. 390. ex cod. Veneto habet: *ἡ δὲ ρξέ οὐχ εὑρέθη.*

2) Scrimgerus l. c. p. 181. *ἡ ξβ΄. διάταξις οὐχ εὑρέθη*; p. 184. *καὶ αὕτη ἡ ξέ διάταξις οὐχ εὑρέθη*; p. 370. *διάταξις ρμδ΄. οὐχ εὑρέθη.*

19., Nov. 58. cum Athan. tit. 1. const. 6. p. 17., Nov. 68. cum Athan. tit. 10. const. 4. p. 122., quibus quidem in locis Haloandri editio Novellarum rubricas habet omnino nullas. Atque hanc rubricarum originem Novella 81. manifesto loquitur, quo loco Scrimgerus duas constitutionis rubricas retulit, quarum una ex Theodoro p. 79., altera ex Athanasii tit. 18. const. 3. p. 164. desumta est. — In conquirendis Iustiniani constitutionibus non dubito, quin nostri corporis scriptor in aliquot exemplaria inciderit, quae unam eandemque Novellam, sed ad diversos magistratus directam haberent. Sic Novella 145. apud Scrimgerum p. 370. ad Areobindum praefectum praetorio data esse dicitur; praeterea in Veneto libro huius constitutionis aliud exemplar refertur [1]), quod alium epilogum habet, alioque die scriptum esse dicitur, licet in tali tantaque anterioris partis lacuna, ad quem magistratum directum sit, nesciamus. Quid, quod collectionis scriptor ex his, quae prae manibus haberet, eiusdem legis exemplaribus ad finem cuiusque constitutionis adnotavit, quibus magistratibus ἰσότυπα scripta essent, ibique apposuit, siquid pluris in uno alterove constitutionis exemplari haberetur. Sic ad Novellae 6., quae ad Epiphanium archiepiscopum Constantinopolitanae civitatis data est, finem [2]) adnotavit, huius legis exemplaria ad archiepiscopum Alexandriae, ad Aiphremium archiepiscopum Theopoleos, ad Petrum archiepiscopum Hierosolymorum, ad Johannem praefectum praetorio et ad Domninum, qui eandem dignitatem per Illyricum sustinebat, emissa esse. — Porro Novellae 22., quae ad Iohannem, praefectum praetorio data est, ἰσότυπα missa esse perhibentur ad Patricium, praefectum urbi, ad Basilidem magistrum officiorum, ad Strategium, comitem largitionum, ad Tribonianum, quaestorem, ad Germanum, Tzittam, Axentianum magistros militiae in praesenti, ad Florum comitem privatorum [3]); in uniuscuiusque exemplaris relatione illud: legi [4]), quo quaestor lit-

1) Vide, quae dixi in libro: *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft herausgegeben von Savigny.* Vol. VIII. p. 338. seq.

2) In ed. Scrimgeri p. 28.

3) L. c. p. 104.

4) Vide Cuiacium in expositione Novellae 22., 105. et Bienerum l. c. p. 22.

teris ab imperatore datis fidem facere solebat, repetitum est, quae res ex horum exemplorum comparatione profecta videtur esse; denique ad epilogi, qui sic incipit: *ἡ τοίνυν σὴ ὑπεροχή*, finem magistratus hanc constitutionem publice proponere prohibetur, cum huic rei iam ea, quae ad praefectos praetorio missa essent [1]), legis exemplaria sufficerent, quae quidem prohibitio ab exemplari ad Iohannem praefectum praetorio emisso aliena est, ut quae alienissima itaque ex alio, quod ad alium magistratum missum fuit, huc translata esse existimanda est. — Novella **14.**, quae per edicti formam civibus Constantinopolitanis publice promulgata fuit, post illa: *τὴν ἡμετέραν πολιτείαν ἐλπίζομεν*, in quae epilogus desinit, et ad magistrum officiorum cum aliqua tamen immutatione [2]) scripta esse per hibetur, qua hic, quisecunda persona singularis numeri designatur [3]), magistratus hanc constitutionem subditis notam facere iubetur, qui iussus in hoc quidem exemplari, quod per edicti modum publice propositum fuit [4])., locum habere non potuit, itaque ex altero huius constitutionis exemplari a collectionis compilatore ad finem legis adnotatus esse reperitur. — Quibus ex fontibus diversa haec unius eiusdemque constitutionis exempla scriptor hauserit, in tanta antiquitatis caligine certo definiri non potest. Sic tamen mihi persuadeo, partim horum exemplarium iam non ex aliis Novellarum collectionibus derivatum esse, sed ex scriniis magistratuum, per quae sparsae iacebant, fuisse conquisitum. Cuius rei indicium facit nota illa praefatio constitutionis: *ἐν ὀνόματι τοῦ δεσπότου* Nov. **17.** et **43.**, quam in singulis constitutionibus publice promulgandis imperatoris nomini praeponi solitam aliunde satis constat [5]), quam quidem praefa-

---

1) Sic enim ibi habetur: *ἀρχούντων τῶν περὶ τούτου παρ' ἡμῶν γεγραμμένων πρὸς τοὺς ἐνδοξοτάτους ὑπάρχους τῶν ἱερῶν πραιτωρίων.*

2) Sic enim: *μετὰ τῆς παραλλαγῆς ταύτης.*

3) Sic enim: *ἡ τοίνυν σὴ ὑπεροχή.*

4) Hac enim promulgationis ratione imperator cives totius reipublicae, ubi proponebatur, alloqui solebat. Nov. 8. edict. *καὶ διὰ τοῦτο τὸν νόμον αὐτὸν καὶ ἐν ἐδίκτου προτεθείκαμεν σχήματι.* Vide Nov. **13., 69., 131.** seq.

5) Huius rei fidem faciunt et Institutionum Iustinianarum prooemium et constitutiones, quae de conceptione et confirmatione Digestorum sunt, denique Collectio XXV. et LXXXVII. capitulorum.

tionem nostrae collectionis compilator ex authentico, quod prae manu habuit, retinuisse existimandus est; haec coniectura firmatur et nobilissimo illo quaestoris verbo: *legi*, quod hic illic post legum subscriptionem scriptum est[1]), nec nisi in authenticis legum exemplaribus, ubi hic magistratus imperatoris litteris fidem facere solebat, positum fuisse intelligitur; denique ita esse ut existimemus, facit et litterarum, quibus magistratus imperatoris leges subditis proponere solebant, ad finem Novellae 159. adiectio, quae ita habet: *Iohannes et Curius subditis optulimus.* Solebant enim magistratus in huiuscemodi legibus proponendis imperatoris, quem religiose colerent et caeteris rebus anteponerent omnibus, litteras in priori loco ponere iisque suas quasi appendicis loco adiicere, quam rem et Iacobus Gothofredus ad l. un. Theod. C. XI. 13. (si per obreptionem) ed. Ritter tom. IV. p. 107. et Zachariae Ἀνεκδότων p. 234. demonstrarunt, et ipse Iustinianus satis aperte significat, qui Nov. 146. epil. Areobindum, praefectum praetorio, προστάξεις ad provinciarum praesides legis promulgandae causa dare hisque imperatoris litteras *praeferre* iusserit[2]). Talis igitur Iohannis Curiique scriptura, cum ad Novellae 159. finem habeatur, in hoc, quod subditis propositum fuit, constitutionis exemplari fuisse existimanda est, ex alia Novellarum collectione transferri non potuit. — Ex his, quae diximus, facile constat, siquando plura eiusdem legis exemplaria haberentur, ea inter se collata atque hanc, quae ex magistatruum, ad quos missa erant, diversitate oriebatur, lectionis varietatem ad uniuscuiusque legis finem adnotatam fuisse. Quam tamen rationem et in mediis constitutionibus accidisse videmus[3]), quare factum est, ut ipse Novellarum contextus mirum in modum turbatus interpolatusque videatur esse, quae res vix explicari poterit, nisi ad hos, unde nostrae collectionis compilator deduxit sua, fontes descendendum esse tibi persuadeas. Huius rei exemplum vel

1) Sic Nov. 22., et 105. habetur. In Scrimgeri editione ea, quam ultimo loco posuimus, lex habet: *legatur*, quod quale sit, iam Cuiacius animadverterat.

2) Sic enim l. c. προτάττων αὐτοῖς τὸν ἡμέτερον νόμον.

3) Huius ego rei indicium iam feceram in libro: *Neue Ienaische Litteraturzeitung* 1842. *p.* 556.

maxime illustre Novella 133. est, quae cum *Iohanni, praefecto praetorio,* scripta esse perhibeatur, hoc tamen dicendi genere usa esse reperitur[1]), quo *patriarcha* Constantinopolitanae civitatis ex domus Augustae consuetudine compelli solebat[2]), *praefectus praetorio* non item. Cumque is *patriarcha* primo legis capite in manifesta *praefecti praetorio* oppositione tertia singularis numeri persona designetur, *praefectus praetorio* autem sexto capite verbis *ἡ σὴ ὑπεροχή;* in epilogo verbis *ἡ σὴ ἐνδοξότης,* id est, secunda singularis numeri persona significetur, non dubitandum est, quin nostri corporis compilator ex duobus eiusdem legis exemplaribus, quorum unum ad *praefectum praetorio*, alterum ad *patriarcham* datum fuit, inter se collatis hunc, qui in codice Veneto habetur, constitutionis contextum composuerit, utriusque dignitatis diversitatem diligenter adnotans. Accidit autem rara nostrorum temporum felicitate, ut et alterum huius legis exemplar, quod ad *patriarcham* datum est, in collectione XXV. capitulorum reperiretur integrum[3]). Ibi his, quae capitis 1. sunt, verbis: *τῶν ὑπὸ τὸν οἰκουμενικὸν πατριάρχην ταύτης τῆς μεγάλης πόλεως,* quae exemplari ad *praefectum praetorio* dato unice apta sunt accommodataque, plane omissis, cap. 6. haec, qua *praefectus praetorio* compelli solebat, dicendi ratio alio loquendi genere, quod *patriarchae* personae convenit, permutatur, cum verborum *τῷ δικαστηρίῳ τῆς σῆς ὑπεροχῆς* in locum haec *τοῖς ἐνδοξοτάτοις ἐπάρχοις τῶν ἱερῶν πραιτωρίων* sufficiantur, deinde postea pro verbis: *τῇ σῇ ὑπεροχῇ* habeatur: *τοῖς ἐνδοξοτάτοις ἐπάρχοις τῶν ἱερῶν πραιτωρίων;* denique in huius legis epilogo, quae ad *praefectum praetorio* referuntur *ἡ τοίνυν σὴ ἐνδοξότης,* hac *patriarchae* designatione: *ἡ τοίνυν σὴ μακαριότης,* permutantur. Quam rem et Vulgata Novellarum Versio, quae idem exemplar ad patriarcham missum habet, satis confirmat. Nam et

1) Nov. 133. cap. 1. *ἡ τῶν ὑπὸ τὴν σὴν ὄντων ἁγιωσύνην.* Atqui *praefecti praetorio* in Novellis hoc modo: *ἡ σὴ ἐνδοξότης* vel *ἡ σὴ ὑπεροχή* designari solent.

2) *Patriarcha* verbis *ἡ σὴ ἁγιωσύνη* in Nov. 5. epil., Nov. 6. epil. §. 1., Nov. 57. cap. 2. compellitur.

3) Vide Heimbach *Ἀνεκδότων* tom. II. p. 188.

quae cap. 1. *praefecti praetorio* propria sunt, hoc loco omissa esse reperiuntur[1]), et cap. 6.[2]) legisque epilogo[3]) illae, quas supra significavimus, verborum permutationes factae sunt. Ex his, quae adhuc disputavimus, et illud satis apparet, quomodo ipsa Novellae inscriptio, quae apud Scrimgerum sic habet: Ἰωάννῃ τῷ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ corrumpi potuerit. Temporibus Iustiniani qui Constantinopolitanae civitatis archiepiscopus fuerit, Iohannem reperimus nullum, ideoque nostrae collectionis compilator ex uno constitutionis exemplari *Iohannem praefectum praetorio*, ex altero *Mennam archiepiscopum Constantinopolitanae civitatis* in hunc locum traduxisse existimandus est, quam rem librarius scriba cum non intelligeret, illius nomen, huius dignitatem retinens, monstrosum illud inscriptionis genus effinxit. — Quaeret aliquis, quamobrem huius, quae in Veneto codice habetur, collectionis compilator diversa eiusdem legis exemplaria inter se contulerit lectionisque varietatem adnotaverit. Hanc ego rem ex vulgari codicum collatione emendationeque explicandam esse censeo, quam, qui librorum manu exaratorum auctoritatem adstruebant, quam poterant diligentissime, instituere solebant, quod *Salmasius* in exercitationum Plinianarum ad Solinum proleg. p. IV. attigit. Ita iam Hadriani temporibus Aulum Gellium, ut veram Terentii lectionem cognosceret, ad libros veteres provocasse videmus[4]); sic idem scriptor genuinum orationum a Marco Tullio habitarum contextum ex exemplaribus fidelissimis, quibus libros vulgares opposuit, adstruxisse reperitur[5]); similiter imperatores Theodosius Valentinianusque[6]) codicum collationem commendarunt, ut genuina veterum Ictorum verba eruerentur; quam eandem viam et in sacrae scripturae libris ingrediendam esse sanctus Augustinus[7]) docet et in Graecis quattuor evan-

1) Monasteriorum sub *tua* constitutorum *sanctitate* (Cap. 1.)
2) Aut hic *gloriosissimis praefectis sacrorum praetoriorum* (Cap. 6.).
3) *Tua* igitur *beatitudo.* (epil.)
4) Noct. Att. lib. 4. cap. 16.
5) L. c. lib. 12. cap. 10.
6) C. 1. Theod. Cod. de responsis prudentum (1. 4.): *si tamen eorum libri propter antiquitatis incertum codicum collatione firmentur.*
7) De doctrina christiana lib. II. cap. 12. *nonnullas obscuriores sententias plurium codicum inspectio saepe manifestavit.* Vide et cap. 14.

geliorum libris, ut in Latinum sermonem transferret, emendandis a sancto Hieronymo 1) initam esse videmus. — Ultimo denique loco quibus temporibus nostra, quae in Veneto libro habetur, Novellarum legum collectio prodierit, disquirendum est, sed paucis. Huius rei indicium facit index, qui in Veneto libro habetur, de quo hoc loco aliquid dicendum erit. Atque intuenti cuique in totum libri argumentum non dubito, quin facile constet, ex duobus, qui diversa legum scripta haberent, codicibus transscriptum esse totum 2). Habentur enim initio Leonis Novellae, quibus *μελέτη περὶ ψιλῶν συμφώνων* subiuncta esse reperitur; sic deinceps reliqui, quod per codicem habetur, argumenti index habetur, qui fol. 67. B. incipit et usque ad folium 73. B. pertinet, manifesto argumento, reliquam libri partem ex alio, quam, qui priora haberet, libro fuisse haustam. Hic igitur index primo loco habet rubricam constitutionis, quam imperator Zeno de aedificiis privatis emisit; porro rubricas, quae sunt corporis CLXVIII. Novellarum, quae cum in folium 72. A. desinant, tredecim Iustiniani edicta sequuntur; deinde quinque Iustini Novellae positae sunt hoc titulo: *ἀρχὴ τῶν Ἰουστίνου νεαρῶν;* sex Tiberii hoc titulo: *ἀρχὴ τῶν Τιβερίου*, triginta novem formae praefectorum praetorio; denique ad finem indicis fol. 74. A. Mauricii Tiberii constitutio habetur, quam duo Irenes Augustae Novellae et una Leonis Constantinique lex de parentibus, qui liberos ex sancto baptismate suscipiunt, sequuntur 3). Huic indi-

---

1) Praef. in quatuor evangelia (opp. ed. Francof. ad Moenum 1516.) tom. 9. init. *Igitur haec praesens praefatiuncula pollicetur quattuor tantum evangelia, quorum ordo est iste: Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes codicum Graecorum emendata collatione sed et veterum, nec quae multum a lectionis Latinae consuetudine discreparent.* — Et paullo ante codices Luciani Hesychiique a se spretos testatur his verbis: *praetermitto eos codices, quos a Luciano et Hesychio nuncupatos paucorum hominum asserit perversa contentio, quibus utique nec in toto veteri instrumento post septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in novo profuit emendasse.*

2) Hoc iam Mortreuil l. c. p. 36. vidit.

3) Haec quidem, cum ab his, qui codicem Venetum examinarunt, praetermissa esse viderem, iuris publici feci in libro: *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft* tom. VIII. p. 333.

cis seriei cum reliquo libri argumento, in quantum nobis servatus est, ita convenit, ut nihil supra. In quo illud quidem manifestum est, principalem huius indicis partem in CLXVIII. Novellarum collectione positam esse, cui Iustini, Tiberii constitutiones, eparchica, posteriorum imperatorum leges quasi appendicis loco adiectae sint. Cumque illa, quam Leonis Constantinique esse diximus, Novella constitutio Leoni Chazaro eiusque filio Constantino tribuenda sit[1]) et inter annum p. Chr. n. 776. et 780 itaque viva videnteque Irene data esse reperiatur, non dubito, quin his iisdem temporibus nostram Novellarum collectionem iam in manibus iureconsultorum fuisse facile tibi persuadeas, siquidem verum est, talem huius corporis appendicem, quae reliquorum imperatorum constitutiones ad chronologicam rationem digestas habeat, et in Irenes eorumque, qui illi aetate suppares fuerunt, constitutiones desinat, recentioribus temporibus vindicari non posse. Sed et longius coniectura procedendum arbitror. Sic enim mihi persuadeo, praecipuam huius argumenti partem, id est, collectionem CLXVIII. Novellarum, una cum Iustini Tiberiique Novellis et eparchicis iam non ab eo, qui hanc appendicem confecit, compilatam, sed ex antiquiori aliquo libro translatam esse, cuius rei argumentum satis idoneum illud reddi potest, quod, qui CLXVIII. rubricas composuit, saepenumero ad has, quae ibidem habentur, Iustini, Tiberii Novellas, item ad eparchica provocavit, eaque ad illos, qui in hoc indice habentur, numeros laudavit. Itaque satis probabile est, his, quas diximus, partibus antiquius illud legum corpus quasi clausum fuisse; reliqua posterioribus demum temporibus adiecta. Cumque in iis, quibus antiquior ista Novellarum collectio constat, et tredecim Iustiniani edicta habeantur, quae ex pleniori quadam Iustinianarum Novellarum collectione manasse iam Bienerus[2]) vidit, mirum videri potest, quod in hoc loco aliquot leges relatae sunt integrae, quae in collectione CLXVIII. Novellarum plane non, aut, prout apud Theodorum leguntur, in breve contractae habentur. Sic Novellae 14., quam Latine Graeceque scriptam fuisse satis constat,

---

1) Hoc iam Zachariae in historiae iuris Graeco-Romani delineatione p. 13. viderat.

2) L. c. p. 116.

Graecum exemplar inter edicta quinto loco habetur, cum ei, qui collectionem CLXVIII. Novellarum compilavit, nec Graecum Latinumve exemplar ad manus esset; neutrum enim apud Scrimgerum Haloandrumvo relatum est. Quid quod Novella 122., quae in collectione CLXVIII. Novellarum ideo recepta non est, quia ab huius corporis compilatore reperiri non potuit[1]), inter tredecim edicta sexto loco posita est? Denique illud, quod primo loco positum est edictum (incipit autem ab his verbis: τῆς παραδοθείσης) etsi in vulgaribus Novellarum editionibus ad Novellam 8., quo refertur, appositum est, hic tamen in Veneto Novellarum codice desideratur[2]). Ex his, quae diximus, satis apparet, inter tredecim edicta relatas esse eas, quae in collectione CLXVIII. Novellarum desiderantur Iustiniani constitutiones, ideoque non deliberandum existimamus, quin is, qui hanc legum appendicem adiecit, illud, cui adiecit, legum corpus iam perfectum omnibusque numeris absolutum prae manu habuerit. Quod si verum est, facile est ad coniiciendum ex tota huius appendicis collocatione, hanc quidem Iustini Tiberiique Novellarum, quae statim postea positae sunt, adiectione posteriorem non esse. Quam quidem adiectionem, ipsa imperatorum serie ducti, ad ea, quae paullo post Tiberium fuerunt, tempora referimus, quibus temporibus et hoc CLXVIII. Novellarum corpus, prout in Veneto libro habetur, iam exstitisse credendum sit. Heraclio certe quidem antiquius esse non poterit, si Latinarum Novellarum defectum ad Latinae linguae inscitiam, quae per totum Orientem fuit, referundum censeas, quae res ab Heracii temporibus initium habuit, ut Constantinus Porphyrogenneta in de thematibus libro p. 2. ed. Banduri auctor est[3]). — Quo denique in loco nostra legum compilatio facta sit, non facile dicas. Quod magnam rubricarum partem ex Athanasii libro, qui vel Antiochiae vel prope eam civitatem scriptus esse dicitur[4]), haustam esse vidimus, Syriam vel vicinas Syriae regiones significari putamus; quae coniectura et illo confirmatur, quod in Novellae 74. subcriptione annum videmus

1) Sic enim editio Scrimgeri p. 312. ἡ δὲ ρκβ' διάταξις οὐχ εὑρέθη.

2) Vide, quae dixi in libro: *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft* tom. VIII. p. 337.

3) Vide Zachariae historiae iuris Graeco-Romani delineationem p. 5.

4) Vide, quae in Ἀνεκδότων tom. II. p. 292. dixi.

designari hoc modo: τοῦ ϑμω ἔτους. Hac re, quam ut legas, a dextera manu incipiendum est, pro ea, quae Antiochiae in usu fuit, aera significari annum 849., id est, eum, quo haec ipsa lex data est, certum est indubitatumque, qua de re Bienerus docte, ut solet, in historia Novellarum p. 518. disputavit. Quae anni designatio cum in subscriptione, qualis apud Theodorum p. 77. Athanasiumque tit. 11. const. 3. p. 137. habetur, recepta non sit, non dubito, quin aliquam loci, ubi authentica Novellarum constitutionum exemplaria conquisita fuerint, habeat significationem. Nec sane huic coniecturae obstare credas, quod quasdam legum rubricas ex Theodori Syntomo in hoc Novellarum constitutionum corpus translatas esse diximus, quem Constantinopoli vitam egisse Zachariae statuit [1]). Est enim haec viri clarissimi coniectura ita comparata, ut nullo antiquitatis testimonio nitatur, nec hoc, quod CLXVIII. Novellarum corpus et Constantinopoli in usu fuerit, argumento commendatur.

Haec habui, quae de origine eius, quod in codice Veneto habetur, corporis dicerem. Aliam quoque Novellarum collectionem, quae authentica Novellarum exemplaria haberet ad CLXVIII. ordinem disposita, exclusis his, quae Iustiniani non sunt, constitutionibus, per Orientem fuisse σύντομος διαίρεσις τῶν νεαρῶν τοῦ Ἰουστινιανοῦ testatur, quam ex codice ms., qui inter Graecos bibliothecae Regiae Parisiensis libros hodie numero 1182. signatus est, Berger [2]) et ego [3]) edidimus, et decimo fere post Christum natum saeculo ab anonymo scriptore, quem Tanneberg Michaelem Psellum nuncupare voluit, conscriptam esse satis constat. Is scriptor corpore quodam, quod Iustiniani Novellas haberet ad CLXVIII. ordinem digestas, usus est, ut ex Novellarum ad numeros, qui in hoc legum corpore habentur, laudatione facile constat [4]). Neque solas Novellarum

---

1) In Ἀνεκδότων prol. p. XLIX., C.

2) Pselli de Iustiniani Novellis libellum graece scriptum ex litteris b. Tanneberg edidit Albertus Berger (Lipsiae 1836. 8.)

3) Ἀνεκδότων tom. II. p. 234—237. coll. proleg. p. LXII.—LXVI.

4) Hoc iam significaveram in libro: *Neue Ienaische Litteraturzeitung. Iuni* 1842. *p.* 556. Hi autem numeri, quos is scriptor laudavit, ad nostram Novellarum collectionem conveniunt: Nov. 2. p. 234., Nov. 3.

rubricas habuisse existimandus est. In designandis enim his Novellis, quae in Basilicis vel plane non sint receptae, vel tantummodo ex parte in eo loco collocatae, Novellam 2., in hoc legum corpore positam esse dixit non totam, sed quartum eius caput, quod cum ultimo Novellae 91. capite coniunctum esse reperiatur[1]; ex Novella 5. nihil, nisi quintum caput in Basilica transiisse affirmat[2]; Novellae 82. hanc tantum partem, quae a quarta distinctione habetur, in eo loco receptam esse testatur[3]; denique Novellae 89. primum caput omissum, secundum in 28. Basilicorum libro collocatum esse auctor est[4]. Hoc autem ita esse et reliqua eiusdem scriptoris testimonia confirmant,

---

p. 236., Nov. 5. p. 234., Nov. 6. et 7. p. 235., Nov. 13., 14., 15., 16., 17., 20. p. 236., Nov. 22. p. 234., Nov. 28., 29., 30., 31., 33 , 36., 37. p. 236., Nov. 38. p. 235., Nov. 39. p. 236., Nov. 40., 46. p. 225., Nov. 50. p. 234. et 235., Nov. 56., 58. p. 235., Nov. 59. p. 236., Nov. 62., 68. p. 235., Nov. 74. p. 234., 235., Nov. 75., 76., 77. p. 235., Nov. 78. p. 234., Nov. 79. p. 235., Nov. 80. p. 236., Nov. 82. p. 234., Nov. 83. p. 235. (bis), Nov. 84. ibidem, Nov. 85. p. 236., Nov. 89. p. 234 et 235., Nov. 91. p. 234., Nov. 101. p. 235., Nov. 102 et 103. p. 236., Nov. 104., 105., 106. p. 235., Nov. 116. p. 236., Nov. 117. p. 234., Nov. 118. p. 235., Nov. 123. p. 234., 235., Nov. 127., 129. p. 235., Nov. 130. p. 236., Nov. 137. et 139. p. 235., Nov. 141., 152., 161., 165. p. 236. Etiam illae, quae bis in collectione CLXVIII. Novellarum habentur, Novellae constitutiones apud nostrum scriptorem ita relatae sunt. Sic p. 235. Novellam 50. eiusdem argumenti esse dicit cum alia, cuius numerus μά, hoc est, 41. legendus est; sic et eadem Novellae 75. et 104. rubrica esse ibidem significatur. Habetur tamen aliquot numerorum apud nostrum scriptorem depravatio, quae ex similium literarum ductibus profecta videtur esse, et ex interrupta numerorum serie facile cognoscitur. Hoc accidisse videmus in Nov. 8. p. 236., ubi librarius litteras κ' et η permutavit; in Nov. 27. p. 236., ubi numerus κϛ' ex κζ' exortus est; Nov. 41. p. 234., ubi incertum est, in codice ms. κά., an μά. habeatur; Nov. 67. p. 235., ubi similis scripturae, quae in libro ms. est, incertitudo deprehenditur; in Nov. 98. p. 235., ubi ex ϟή factum est ϟβ'; Nov. 140. p. 235., quo loco ex ρμ' exiit ρν'; denique in Nov. 154. p. 236., ubi eodem modo litterae μ' et ν' confusae esse reperiuntur.

1) L. c. p. 234.
2) L. c. p. 234.
3) L. c. p. 234.
4) L. c. p. 235.

quae nunc recitabuntur, ut has, quae Iustiniani essent, constitutiones in nostra Novellarum collectione receptas esse solas, exclusis his, quae Iustini, Tiberii sunt, eparchicisque luculenter demonstremus. Sunt autem haec: Pag. 235. Novellam 140. in Basilicis receptam esse negat, deinde scribit: *αὕτη δὲ οὐδὲ εἰς τὸ πλάτος ἐγράφη τῶν νεαρῶν ὡς οὖσα Ἰουστίνου τοῦ μετὰ τὶν Ἰουστινιανὸν βασιλεύσαντος*, ubi hanc, quam prae manu habuit, Novellarum collectionem manifesto *τὸ πλάτος τῶν νεαρῶν* nuncupavit[1]) Novellaeque Iustini, quae in CLXVIII. corpore habetur, genuina verba in libro suo recepta esse negavit. — Idem cum pag. 236. Novellam 161. in Basilicis collocatam esse negans parentheseos loco haec addit: *ἐστὶ δὲ γ΄. διάταξις τῶν νεαρῶν τοῦ Τιβερίου, οὐ κατεσρώθη δέ*, huius constitutionis genuina verba in Novellarum collectione haberi negat sua, quia Tiberii sit, eique collectioni Tiberii Novellas numeris distinctas quasi appendicis loco subiunctas esse significat, quae eadem res apud Scrimgerum significatur p. 388. his verbis: *ἡ ρξά διάταξις οὐκ ἐγράφη ὧδε, ὡς οὖσα γ΄ Τιβερίου.* — Denique, quod idem scriptor p. 236. Novellam 165. in libro 58. Basilicorum collocatam affirmans, haec subdit: *ἐν δὲ τῷ χύματι οὐ κεῖται, οὐδὲ εὑρέθη, τίνος ἐστίν*, ipsum huius legis contextum in suo Novellarum libro deesse[2]) significat, nec, a quo imperatore lata sit, reperiri potuisse. Non tamen usque adeo procedendum, ut nullam omnino inter eam, quae in Veneto

---

1) Simili modo et alii hanc, quae authentica Novellarum exemplaria haberet, collectionem designarunt. Sic Theodorus Balsamon ad Photii nomocan tit. 1. cap. 34. in bibliotheca iuris canonici ed. Iustelli tom. II. p. 856. *πρὸ τοῦ συντεθῆναι τὸ πλάτος τῶν νεαρῶν* et l. c. cap. 28. p. 847, quod ita habet: *πλὴν γίνωσκε, ὅτι ἡ μὲν νεαρὰ τοῦ Ἰουστινιανοῦ εἰς πλάτος εὑρισκομένη λέγει*, quare originarius Novellae contextus, ita uti in *πλάτει* habetur, haec, quae sequuntur, habere significatur.

2) Hunc librum verbo *χύματι* designari et totus sententiarum contextus docet, et Epanagoges praefatio confirmat, quam Witte in Museo Rhenano tom III. p. 32. publici iuris fecit. Sic enim habet: *καὶ πρῶτον μὲν τὰ ἐν πλάτει τῶν παλαιῶν νόμων κείμενα ἅπαντα ἀνακαθαρίσασα ἐν μ΄. βίβλοις ἀθόλωτον καὶ ἀνόθευτον τὸ πᾶν χῦμα τοῦ νόμου — ὑμῖν ἐκέρασε.*

libro habetur, Novellarum constitutionum collectionem et eam, qua Anonymus hic scriptor usus esse reperitur, diversitatem intercessisse existimemus. Cuius rei indicium illud est satis manifestum, quod, quae apud nostrum scriptorem relatae sunt Novellarum constitutionum rubricae, etsi magnam partem cum Veneti codicis testimoniis consentiunt, quod vel maxime in his, quae ex Athanasio deductae sunt [1]), accidisse videmus, tamen sunt non admodum paucae, quae et cum Scrimgeri testimoniis non consentiant, et ex Theodori Syntomo deductae videantur esse. Sic Novellae 3. rubrica (apud Anonymum tom. II. p. 236) ex Theodoro p. 12. desumta est, cum Scrimgerus eam, quae apud Athanasium tit. 1. const. 9. habetur, rubricam retulerit; sic porro Novella 6. (apud Anonymum p. 235.) Theodori p. 82. rubricam habet, cum apud Srimgerum sit, quae Athanasii tit. 1. const. 4. est; sic in Novella 7. (apud Anonymum p. 235.) rubrica Theodori p. 17. relata est, apud Scrimgerum ea, quae est Athanasii tit. 2. const. 1. Reliquorum, ut paucis comprehendamus, hunc dabimus catalogum, in quo, quae Scrimgerus habet, unde hausta sint, parentheseos loco apponemus: Nov. 17. (An. p. 236.) est Theodori p. 26., Scrimgeri fons ignotus est; Nov. 39. (An. p. 236.) est Theodori p. 53., Scrimgeri fons est Athan. tit. 9. const. 3.; Nov. 40. (An. p. 235) Theodori p. 54. est, Scrimgerus ex Athan. tit. 2. const. 7. habet; Nov. 46. (An. p. 235) est Theodori p. 57., Scrimgeri fons ignotus; Nov. 67. (An. p. 235.) ex Theodoro p. 67. venit, Scrimgeri de fonte non constat; Nov. 68. (An. p. 235) Theodoro p. 70. debetur, Scrimgeri fons est Athanasius tit. 10. const. 4.; Nov. 74. (An. p. 234 et 235.) Theodori p. 75. est, Scrimgeri fons ignotus; Nov. 76. (An. p. 235) Theodori p. 77. rubricam habet, Scrimgerus ex Athan. tit. 1. const. 16. hausit; Nov. 83. (An. p. 235.) Theodori p. 82. est, Scrimgeri fons Athan. tit. 1.

---

1) Sic rubrica Novellae 5., quam Anonymus p. 234. laudavit, et Scrimgerus habet, ex Athanasiique tit. 1. const. 13. hausta est, qui idem consensus utriusque rei habetur et in Novella 8. p. 236., cuius rubrica ex Athanasio tit. 4. const. 2. deducta est; in Novella 14. p. 236., cuius rubricae fons incertus est, et in Novella 79. p. 235., quae ex Athanasii tit. 1. const. 15. derivatur.

const. 4. est; Nov. 98. (An. p. 235.) Theodori p. 97. est, rubrica Scrimgeri ex Athan. tit. 10. const. 7. hausta est; Nov. 127. (An. p. 237.) Theodori p. 135. est, Scrimgeri fons ignotus; Nov. 137. (An. p. 237.) ad Theodorum p. 151. refertur, cum Scrimgerus ex Athan. tit. 1. const. 17. hauserit; Nov. 139. (An. p. 235.) Theodori p. 153. rubricam retulit, Scrimgeri fons ignotus; Nov. 154. (An. p. 236) ex Theodoro p. 159. deducta est, Scrimgeri de fonte plane non constat. Non tamen rubricas, prout apud Theodorum habentur, noster scriptor ubique religiose retinuit, sed aliquando, cum in usum verteret suum, immutavit, ut tamen, quo ex fonte haec immutatio profecta sit, facile constet, quod, ut exemplo utamur, in Novellae 58. rubrica apud Anonymum p. 235. relata accidit, quam cum ex Theodoro p. 65. cum aliqua verborum immutatione deductam esse videamus, cum Athanasii tit. 1. const. 6., quam in collectione CLXVIII. Novellarum positam videmus, plane non convenit. Denique illud tacito praetermitti non potest, quod aliquot, quae apud Anonymum nostrum relatae sunt, rubricis nec ad Theodori librum aut Athanasii aut denique ad collectionis CLXVIII. Novellarum testimonia conveniat, quam quidem rem videmus accidisse in Novellae 16. rubrica (An. p. 236.), Nov. 31. (An. 236.) et Nov. 77. (An. p. 235.) Ut proinde facile coniicias, has, de quibus diximus, rubricas ex ignotis quibusdam fontibus deductas esse, nisi ab ipso illo libri scriptore proprio, ut aiunt, Marte effictae esse dicantur. De Latinis quidem Iustiniani constitutionibus, quomodo in hac, qua Anonymus scriptor usus est, Novellarum collectione actum sit, non satis constat, ideoque totam hanc disputationis partem tacito praetereundam esse putamus.

Transeo ad hoc, quod in Florentino libro manuscripto habetur, Novellarum constitutionum corpus accuratius describendum, quod Gregorius Haloander ex Bolognini apographo publici iuris fecit fere integrum [1]). Is, qui composuit, non has solas, quae Iustiniani essent,

1) Hoc de Nov. 144. et 148. valet, quas Haloander p. 212. et 217. retulit; contra ea Novellae 140. et 149., quae item Iustini sunt, omissae, quia in Basilicis receptae non sunt. Vide, quae de hac re Bienerus l. c. p. 134 — 140. disputavit.

Novellas constitutiones Graece scriptas, omissis Iustini Tiberiique legibus eparchicisque, ad hanc, quae in Theodori Syntomo habetur, seriem composuisse credendus est, sed, quicquid in hoc libro relatum vidisset, harum epitomarum genuinum contextum, in quantum reperiri potuit, ad eiusdem Theodori tenorem composuisse existimandus est. Itaque Iustini Novellas suo quamque in loco posuit totas; item Tiberii constitutiones, quibus in locis apud Theodorum habentur, perscripsit integras [1]); denique tria eparchica, quae in Theodori libro ultimos tres locos occuparunt, etsi apud Scrimgerum relata non sunt, in Florentino tamen libro his, quibus debent, locis leguntur[2]). Latinarum tamen constitutionum, quarum epitomae apud Theodorum relatae sunt, genuinum contextum non videtur habuisse, ideoque hi, quos in collectione CLXVIII. Novellarum occuparunt, loci vel vacui relicti sunt, quod quidem in Novella 9., 11., 75. accidisse videmus, vel Theodori rubricas summasque exhibent, ut in Novella 33., 34., 35., 36., 37., 62., 65., 104., 111., 114., 143., 150. factum esse animadvertimus, aut denique Athanasii rubricam summamque praeferunt, quod in Novella 23. locum habet. Rubricarum partem ex Athanasio, partem ex Theodoro hausit, id quod vel his locis factum esse videmus, in quibus Scrimgerus habet aut plane nullas, aut ex aliis libris, velut ex Athanasii commentario deductas. Atque ad id, quod priori in loco posui, genus revocandae sunt Novella 34. (Th. p. 49.), Nov. 35. (Th. l. c.), Nov. 36. (Th. p. 50.), Nov. 37. (Th. l. c.), Nov. 122. (Th. p. 122.), Nov. 143. (Th. p. 154.), Nov. 144. (Th. p. 155.), Nov. 161. (Th. p. 163.), Nov. 163. (Th. p. 164.), Nov. 164. (Th. l. c.), Nov. 165. (Th. l. c.); ad hoc, quod secundo, referenda est Nov. 33. (Th. p. 49.), Nov. 80. (Th. p. 79.) Nov. 138. (Th. p. 152.) quibus in locis Scrimgerus rubricas ex ignotis fontibus derivavit suas, aut Nov. 65. (Th. p. 69.), ubi Scrimgerus, quae est Athanasii tit. 2. const. 10., rubricam retulit, sed aliqua ex parte immutatam. Alia rubricarum, quae apud Halo-

---

1) Hoc de Nov. 161., 163., 164., quae apud Haloandrum p. 226., 228., 229. relatae sunt, dictum esse intelligas.

2) Vide, quae de hac re dixi in libro: *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft* tom. VIII. p. 322., 347. seq.

andrum relatae sunt, pars nec cum Theodori Athanasiique consentit, cumque et in Veneta Novellarum collectione eodem, quo hic, modo relatae esse reperiantur, iam non a nostro scriptore effictae, sed ex antiquioribus libris tranlatae esse credendae sunt. Hoc accidisse anim, advertimus in Nov. 38., 41., 44., 51., 53., 57., 66., 70., (quae apud Haloandrum numerum 69. praefert), 71. (quae in Haloandri editione numero 70. signata habetur), 72., 73., 74., 77., 78., 92., 93., 94., 95., 97., 109., 117., 119., 120., 121., 123. 128., 134., 135., 141., 146., 147., 157., 159., 162. Verum non tantum in his locis, ubi Haloandri rubricae cum Scrimgeri omni ex parte consentiunt, ignotos quosdam fontes utriusque collectionis compilatori prae manu fuisse reperimus, sed etiam in illis, in quibus utraeque editiones aliquantulum dissentiunt, ut tamen his unum eundemque fontem pro fundamento fuisse facile agnoscas, quod quidem factum esse reperimus in Nov. 59., quam Haloander numero 58. signavit, 74., 92., 112., 132. quarum rubricas ex Theodori aut Athanasii libro in utrasque editiones translatas non esse intuenti cuique in titulorum, quos habent, indicem facile constabit. — Sequitur, ut dispiciamus, quibus fere temporibus haec, quae apud Haloandrum refertur, Novellarum collectio compilata sit. Sic autem mihi persuadeo, tale legum corpus, quod genuinas Iustiniani, Iustini Tiberiique constitutiones eparchicaque haberet ad Theodori seriem congesta, his, quibus Basilica composita sunt, temporibus compilari non potuisse, tum quia, quae fuit Basilicorum in hac legum collectione mutanda transformandaque vis ac potestas, posteriorum temporum scriptori accepta referenda videtur esse, tum quia nostri libri compilatori diversa eiusdem Novellae exemplaria, quae lectionis firmandae causa inter se contulerit, prae manibns fuisse videntur, quod quidem Basilicorum temporibus de Iustiniani Novellis vix ac ne vix quidem factum esse potest. Hoc, quod ultimo loco posuimus, argumenti genus quale sit, nunc accuratius explicandum est. Habuit enim noster scriptor tria Novellae 8. exemplaria, quorum alterum ad *Iohannem, praefectum praetorio*, datum fuit, alterum ad *episcopos*, tertium ad *cives Constantinopolitanos* edicti in modum directum, ex quibus quidem quae in exemplari ad *Iohannem* dato deessent, noster scriptor ad finem constitutionis apud Haloandrum p. 14. et seq. retulisse re-

peritur. — Etiam Novellae **14.** diversa exemplaria habuisse existimandus est, cum, quae fuit edicti ad *cives Constantinopolitanae civitatis* directi forma, hanc quidem retulerit integram; exemplaris autem ad *magistrum* scripti varietatem lectionis ad finem constitutionis adnotaverit hoc modo: *ἐγράφη τὸ ἰσότυπον τῷ ἐνδοξοτάτῳ μαγίστρῳ μετὰ τῆς παραλλαγῆς ταύτης*, quae quidem apud Haloandrum p. **24.** leguntur. — Similiter ad finem Novellae 22, quae ad *Iohannem*, praefectum praetorio, directa esse dicitur, Haloander p. **70.** retulit, alia huius constitutionis exemplaria scripta esse *Patricio*, praefecto urbi, *Basilidi* magistro officiorum, *Triboniano*, quaestori, *Germano*, *Tzigae*que, magistris militiae, *Floro* comiti privatorum, ex quibus exemplaribus et alius Novellae constitutionis epilogus p. **71.** relatus esse reperitur, qui in exemplari ad *Iohannem*, praefectum praetorio, dato ne potuit quidem esse, cum hic magistratus ibi tertia singularis numeri persona designetur, secunda non item. His igitur de causis nostri corporis origines ad Basilicorum tempora referendas esse si recte negamus, ad superiora etiam Leone Isauro tempora ascendamus necesse erit, cum exinde ius Iustiniani per totum Orientem exoleverit et consuetudinis male fundatae iure permutatum sit, quod vel maxime ecloga Leonis Constantinique promulgata effectum esse novimus [1]), nec sane credibile sit, talis tantaeque molis librum, qui quidem ius Iustiniani purum putum haberet, nec legum a posterioribus imperatoribus scriptarum consuetudinisque rationem haberet, his temporibus, quibus non legeretur, conscriptum esse. Quod autem Latinas constitutiones a nostro scriptore repertas non esse supra dixi, hac re, quae Heraclio posteriora fuerunt tempora, vi-

---

1) Huius rei testimonium satis luculentum exhibet Epanagoges praefatio in Museo Rhenano tom. III. p. 30. *νῦν δὲ τὰς ἐπὶ ἐναντιώσει τοῦ εἰρημένȣ θείου δόγματος καὶ ἐπὶ καταλύσει τῶν σωστικῶν νόμων, παρὰ τῶν Ἰσαύρων φληναφείας ἐκτεθείσας πάντῃ ἀποβαλομένη καὶ ἀπορρίψασα.* Prochiron Basilii praef. §. 2. ed Zachariae p.9. *εἰδέναι χρή, ὡς οὐκ ἐκλογὴ μᾶλλον ἢ ἀνατροπὴ ὁ καλούμενος ἐγχειρίδιος* (h. e. ecloga Leonis Constantinique) *καθίστατο τῶν καλῶς νομοθετηθέντων κατὰ βούλησιν τοῦ συλλεξαμένȣ.*

dentur significari, quibus iam nullum aut certe perexiguum Latini sermonis per Orientem usum fuisse satis constat.

Atque haec quidem ad eam, quae in Florentino libro habetur, Novellarum collectionem accuratius definiendam sufficere viderentur, nisi, quod iam Hombergk zu Vach[1]) opinatus est, novissimis temporibus extitisset, qui huius collectionis vim et potestatem a Basilicorum contextu suspensam esse totam significaret[2]). Qui si hoc voluerit, ut antiquissimam illam, quae iam octavo p. Chr. saeculo extitisse videtur, Novellarum constitutionum collectionem ex Basilicorum auctoritate posterioribus temporibus interpolatam, immo ad huius libri rationem maximam partem formatam esse credamus, habebit me quidem consentientem; sin censuerit totam nostram collectionem ex Basilicis originem habuisse atque ab aliquo Iustiniani Novellas, quales in hoc legum corpore receptae essent, ad Theodori seriem post ea tempora compositas esse, non assentior. Huius meae opinionis fundamenta sic demum recte iaci existumo, si in Novellarum in Basilicis receptionem diligentius inquiramus. Videmus autem in huius libri contextu genuina Novellarum verba relata, inscriptionibus[3]), praefationibus[4]), epilogis, subscriptionibus omissis[5]); praefationes aliquando scholiis suppletas, quod in Nov. 1. apud Fabrotum tom. V. p. 441., in Nov. 39. apud Heimbach tom. III. p. 344., in Nov. 44. tom. II. p. 510., in Nov. 47. tom. II. p. 514., in Nov. 48. apud Fabrotum tom. V. p. 497., in Nov. 60. aput Heimbach tom. II. p. 669., in Nov. 73. tom. II. p. 519., in

1) Praefat. ad finem: „sed sciendum est — exinde profectam esse, „quod *Novellae Graecae Haloandri fuerunt olim ex libris Basilicῶν col- „lectae et in corpus redactae.*"

2) Sic Bienerus l. c. p. 87.

3) Vide, quae disputavi in libro: *kritische Iahrbücher für deutsche Rechtswissenschaft, herausgegeben von Richter und Schneider.* 1839. p. 990. Itaque inscriptionem aliquando scholia Basilicorum suppleverunt, quod in Nov. 44., 47., factum est apud Heimbach tom. II. p. 510., 514.

4) Contextus Basilicorum solius Novellae 20. praefationem retulit in edit. Heimbachi tom. I. p. 445.

5) Vide Bienerum l. c. p. 139.

Nov. 88. tom. II. p. 64., in Nov. 100. tom. III. p. 464., in Nov. 156. tom. II. p. 735. factum est. Contra in hac, quam Florentinus liber habet, Novellarum collectione constitutionum inscriptiones, praefationes, epilogi, subscriptiones relatae sunt ad unam omnes, quod sane fieri non potuisset, si hunc librum ex solis Basilicis derivatum statueremus. Porro, quod saepenumero genuina Novellarum verba apud Haloandrum ex Basilicis interpolata habentur, hoc non ita accipiendum est, quasi omnes omnino, quae huius corporis sunt in genuino illarum constitutionum contextu, immutationes in hoc, quod Florentiae habetur, Novellarum corpus migraverint. Imo sunt non admodum pauci huius libri loci, ubi genuina Novellarum verba referuntur, ab omni Basilicorum interpolatione remota, cuius generis exempla hoc loco ponemus. Sic, quod post Leonis sapientis Novellam 46. *curiae curialium*que mentionem in Basilicis haberi nullam, et Anonymus *διαιρέσεως* scriptor [1]) disertis verbis prodidit et multorum huius corporis locorum cum fontibus, ex quibus deducti sunt, comparatione Heimbach confirmavit, in causa fuit, quare et in permultis Florentini libri locis haec eadem omissio facta sit; sed in Novella 151 contra factum, cum et in praefatione verba: *βουλευτὰς ἢ ταξεώτας* apud Scringerum Haloandrumque exstent, quamquam in Basilicis ed. Heimbach tom. I. p. 265. prima illa: *βουλευτὰς ἢ* desiderantur, et ad eiusdem praefationis finem, quae in Basilicis post vocem *ταξεώτην* omissa sunt: *ἢ βουλευτήν*, tam in Veneto, quam in Florentino codice reperiantur, denique in primo huius constitutionis capite ibidem habeatur: *ταξεώτην ἢ βουλευτήν*, licet postrema duo verba in Basilicis desint. — Ad eundem censum revocandum videtur, quod in Novellae 123. cap. 14. Basilicorum auctoritatem Florentinae collectionis compilator secutus non esse reperitur. Ibi presbyter, diaconus, subdiaconus si post peractam ordinationem uxorem duxerit, deponi iubetur, *καὶ τῇ βουλῇ τῆς πόλεως, ἐν ᾗ κληρικὸς ἦν, — παραδιδόσθω.* In Basilicorum contextu (ed. Heimbach tom. I. p. 100.) verba *τῇ βουλῇ* data opera omissa atque in eorum

1) Apud Heimbach *Ἀνεκδότων* tom. II. p. 325. *διότι τὰ περὶ βουλευτῶν οὐκ ἐδέχθη τὸ παράπαν παρὰ τῶν τὰ βασιλικὰ ἐκθεμένων.*
2) Basilicorum tom. I. p. 332. not. *g*.

locum τῇ τάξει suffecta esse reperiuntur, quibus iam non *curialis*, sed *cohortalis* esse iubetur, qui ita uxorem duxit. Hanc tamen genuini contextus interpolationem, quam nec Scrimgerus abiecit, Haloander non agnovit. Sic enim habet: τῇ βουλῇ τῆς πόλεως. Porro eiusdem Novellae cap. 15. ex auctoritate Scrimgeri, Versionis Vulgatae, collectionis LXXXVII. capitulorum [1]) haec habentur: βουλευτὰς ἢ ταξεώτας, ex quibus, cum Basilica, caeteris omissis, nihil nisi vocem ταξεώτας receperint, contra horum auctoritatem Haloander inverso tamen verborum ordine, efficit: ταξεώτας ἢ βουλευτάς. — Atque ibidem, quae genuina sunt constitutionis verba: τῇ βουλῇ ἢ τῇ τάξει, ex quibus Basilica prima tria omiserunt, haec pura puta apud Haloandrum leguntur. — Nec absimile est, quod Novellae 128. cap. 8. ad finem ex his verbis: τῶν ἐξακτώρων ἢ βουλευτῶν ἢ βινδίκων, quae et Scrimgerus habet et Vulgata Versio confirmat, Basilica ed. Fabroti tom. IV. p. 746. ista: ἢ βουλευτῶν omiserunt, Haloander tamen ex Florentino libro exhibuit. Verum non tantum in *curialium* mentione nostri corporis compilator a Basilicorum auctoritate abiisse deprehenditur, verum etiam in *quattuor conciliorum oecumenicorum* commemoratione. Quae enim Nov. 131. cap. 1. genuini contextus sunt: ὑπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων, haec et in Florentino codice et apud Haloandrum exstare animadvertimus, etsi Basilicorum compilatores pro suorum temporum ratione pro τεσσάρων scripserint ἑπτά, quo de interpolationis genere Ἀνεκδότων tom. I. prol. cap. III. p. XXXI. verba fecimus.

Sed haec ad demonstandas collectionis, quae CLXVIII. Novellis constat, origines sufficient. Nunc causa reddenda est, quare haec quidem a me scripta sint. Cum enim mihi contigisset, ut antecessoris, qui extra ordinem in hac alma litterarum universitate praelectiones haberem, provincia mihi daretur, hanc provinciam auspicandi causa indicenda est publica praelectio, quam *de vi et potestate, quam Eparchicorum corpus, quod Eduardus Zachariae in Ἀνεκδότων p.* 227 — 278 *publici iuris fecit, in Iustiniani iure illustrando habiturum sit,* die III. Iu-

1) Cap. 48. apud Heimbach Ἀνεκδότων tom. II. p. 124.

lii mensis hora XI. habebo. Huic igitur sollennitati, ut Vos, *Rector Academiae Magnifice, Comites Illustrissimi, utriusque reipublicae Proceres Gravissimi, Commilitones Generosissimi atque Humanissimi* interesse velitis, etiam atque etiam a Vobis peto.

Scripsi in universitate litterarum Lipsiensi Idibus Maiis anni p. Chr. n. MDCCCXLIV.